



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

XLI. Quod Excalceati B.M. de Mercede Redemptionis Captivorum nequeant  
ad aliam Religionem se transferre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)



sexus Christifidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitari libere, & licite possent, & valerent respective auctoritate Apostolica concessimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 7. Februarii 1671. expeditis literis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Ad iteratas preces Hispaniarum Regis de novo indulget, ut in omnibus Hispaniarum Regnis festum d. B. Ferdinandi servari, & celebrari possit, ac officium de illo sub ritu Duplici cum lectionibus propriis recitari.

Derogat contrariis.

Transumptorum fides.

Edit. 26. Aug. 1673. An. 4.

§. 2. Nunc autem ampliorem memoratis Carolo Regi, & Mariannæ Reginae gratiam facere, piisque, & devotis eorum supplicationibus nobis per dilectum filium nostrum Joannem Everardum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Nidhardum nuncupatum dicti Caroli Regis apud nos, & Sedem Apostolicam Oratorem super hoc humiliter porrectis favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, ut in omnibus Hispaniarum Regnis prædictis, festum prædicti Beati Ferdinandi Regis de præcepto servari, & celebrari possit, ac officium de illo sub ritu Duplici cum lectionibus propriis a Congregatione eorundem Cardinalium approbandis recitari valeat, auctoritate prædicta harum serie concedimus pariter, & indulgemus.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Anno Piscatoris, die 26. Augusti 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slufus.

Registrata in lib. 4. Brevium diversorum fol. 121.

XLI.

Declaratio, quod Religiosi Congregationis Fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum expresse professi, nequeant e dicta Religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto se transferre.

Edita An. D. 1673.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a perseverantia in Divina vocatione.

Sacro sancti Apostolatus Officium humilitati nostræ, meritis licet imparibus, ab Altissimo commissum salubriter exequi, adjuvante Domino jugiter satagentes, peculiarem Christifidelium divinis obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum curam gerimus; & ut in ea vocatione, qua vocati sunt, constanter perseverent, providere studemus, sicut ad felicem religionis progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Callixtus III. cavet ne Religiosi Congregationis Fr. Excalceat. Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum ad aliam Religionem transire possent.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Franciscus de S. Marco Procurator Generalis Congregationis Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum nobis nuper exponi fecit, per quosdam fel. rec. Callixti Papæ III. prædecessoris nostri literas anno Incarnationis Dominicæ 1457. Kalendis Novembris sub plumbo expeditas cautum fuerit, ne præfati Ordinis Religiosi ad aliam Religionem transire possent; ut subinde rec.

mem. Urbanus Papa VIII., etiam prædecessor Noster per quosdam suas in simili forma Brevis die 19. Januarii 1628. emanatas Literas Fratribus excalceatis d. Ordinis transitum ad Religiosos Calceatos ejusdem Ordinis, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia interdixit, & alias prout in dd. Literis uberius dicitur contineri; in Capitulo autem Generali præfatorum Fratrum Excalceatorum, quod anno proxime præterito 1672. a die 4. usque ad 14. mensis Junii celebratum fuit, omnium calculo decretum fuerit, Nobis esse supplicandum, ut Literas prefatas confirmare, ac dictis Fratribus Excalceatis transitum etiam ad Ordinem Carthusianorum, prohibere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Hinc est, quod nos præfati Francisci Procuratoris Generalis votis in præmissis quantum cum D. possumus, favorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus totius Congregationis præfate nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature perpenderit, consilio, Religiosos Ordinem Fratrum Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum expresse professos, non posse e sua Religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto, se transferre, auctoritate Apostolica tenore presentium declaramus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem presentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inseritis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Urban. VIII. idem prohibuit.

Preces Capituli Generalis Pontifici pro dd. literarum confirmatione.

Absolutio à Censuris.

Pontifex declarat dd. Fratres non posse à sua Religione ad aliam quamcumque etiam Carthusianorum transire.

Decretum irritans.

Derogat contrariis.

Transumptorum fides.

Datum



1673.  
Edit. 26. Aug.  
1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1673. Pontificatus nostri Anno quarto.

I. G. Slufius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Septembris par. 1. fol. 119.

XLII.

Diversæ Ordinationes pro felici Statu, Regimine, & Manutentione Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, juxta resolutionem S. Congregat. Episcoporum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium a confovendo Religiosos in eorum laudabilibus Institutis.

Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano. Fr. Discalceat. Hispaniæ Ordinis. Min. S. Francisci de Observantia. initium, & progressus.

**E**Xigit injunctæ Nobis cælitus Apostolicæ servitutis ratio, ut Religiosorum Virorum cæcus sub suavi severioris Disciplinae jugo Christo militantes, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris aura proferre jugiter fatagentes in eorum laudabilibus Institutis confovere, illorumque tranquillitati, ac felici regimini, & incremento, quantum Nobis ex alto conceditur prospicere studeamus.

§. 1. Cum itaque Custodia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum alias in executionem quarundam Nostrarum in simili forma Brevis literarum auctoritate Apostolica erecta, & instituta, variisque gratis, & Ordinationibus pro felici ejus gubernio emanatis per alias Nostras pariter in forma Brevis literas decorata, atque stabilita, multis tamen in sui primordio, tam Romæ, quam subinde in Hispania contradictionibus vexata, & per illas tamquam aurum in fornace probata, & purificata, ac ab illis, quippe insubstantibus, & ex animositate provenientibus, tum Judicia Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrarum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, tum charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, qui pro eximia sua erga Nos, & Sedem Apostolicam reverentia, rem omnem ad supremum Nostrum, & dictæ Sedis Judicium remisit, æquitate, atque pietate liberata fuerit.

§. 2. Hinc est quod Nos felici, prosperoque ejusdem Custodiæ statui, regimini, & incremento quantum cum Domino possumus providere, ac ejusmodi perturbationibus ansam in futurum præcidere cupientes de memoratorum Cardinalium, qui relationem Venerabilis etiam Fratris Nostri, necnon dilectorum filiorum Custodis, & Diffinitorum, ac Fratrum dictæ Custodiæ singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure, vel ab homine, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Francisci Episcopi Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris perpenderunt, consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero quisquam etiam quavis præminentia, potestate, officio, vel superioritate fungens, seu quandocumque functurus quidquam contra statum, perpetuamque conserva-

Absolutio a Censuris.

Motu proprio interdicere ne quidquam contra statum perpetuamque conservacionem d. Custodiæ, & literas Apostol.

tionem Custodiæ præfatæ, quæ matura consideratione prævia, auctoritate nostra erecta fuit, & in qua S. Francisci Regula stricte, ac debito rigore servatur, aut contra literarum præfatarum dispositionem quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio attentare audeat, seu præsumat, tenore præsentium districte, & perpetuo prohibemus, & interdicens.

§. 3. Nos enim eandem Custodiam Dei servitio, ac Animarum saluti, fideliumque a difficationi promovendæ perutilem esse, nec ullum præjudicium, aut incommodum, sed potius decorem Ordini præfato adferre harum serie declaramus. Ac præfato Francisco Cardinali Protectori, ut audito dilecto filio Commissario Generali Curie d. Ordinis, qui durante absentia Ministri Generalis, Superior dictæ Custodiæ existit, Capitulum ipsius Custodiæ celebrari facere, & pro hac vice tantum Commissarium Visitatorem illum mittere, seu etiam pro singulari, quam habet Fratrum ejusdem Custodiæ meritis magis conspicuorum noticia, electiones, seu deputationes Custodis, Diffinitorum, Guardianorum, & aliorum Officialium ipsius Custodiæ facere, & quatenus aliquis ex sic electis, seu deputatis, renunciare vellet, ejusmodi renunciationis acceptationem committere, & officium renunciatum alteri Religioso idoneo conferre, seu demandare libere, licite, & valide possit, & valeat, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem tribuimus, & impartimur.

§. 4. Et quia ex quinque Conventibus, quibus d. Custodia constat, duo, videlicet S. Jacobi Civitatis Licien., & S. Mariæ Gratiarum Terræ de Squinzano Conventus tanto locorum intervallo à reliquis tribus distant, ut opportune gubernari nequeant, nec visitari, neque illis de Religiosis provideri, nisi cum magna difficultate possit, quod etiam agnovit dilectus filius Minister Generalis d. Ord., qui in visitatione ejusdem Custodiæ, duos Conventus hujusmodi admittendos fore censuit, ideo Custodi, & Diffinitorio d. Custodiæ, ut eosdem duos Conventus S. Jacobi Civitatis Licien., & Sanctæ Mariæ Gratiarum Terræ de Squinzano dimittere, & ab ipsa Custodia dismembrare, ita ut sic dismembrati, quantum ad Ordinem prædictum spectent, in præfati Ministri Generalis dispositione remaneant, & subinde in vicinia reliquorum trium Conventuum ipsius Custodiæ alios duos Conventus à piis, & devotis Christifidelibus, qui pro eorum pietate illos ædificare voluerint, in locis tamen in quibus nullus Conventus Fratrum de Observantia, vel Reformatorum Ordinis prædicti existat, de Ordinariorum dumtaxat consensu, prout dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas in forma Brevis literas die 25. Junii 1639. expeditas, quarum initium est, Cum ea &c. Fratribus Minoribus Discalceatis Hispaniæ, quorum Privilegiis dicta Custodia ex concessione Nostra gaudet, concessisse reperitur, ac servata in reliquis Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum dispositione recipere, & acceptare libere, & licite possint, & valeant, earundem tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 5. Ut autem Custodia præfata in humilitatis spiritu, & morum simplicitate, quibus virtutibus S. Franciscus Ordinem suum resplendere voluit, conservetur, & ambitionis vitio, quod Religiosis Congregationibus, atque Communitatibus, etiam maxime reformatis inquietudinem, & perniciem adferre solet, aditus præcludatur, statuimus, & ordinamus, ut in eadem Custodia nulla sit inter illius Religiosos alia præcedentia, præter eam, quæ ex antiquitate

1673. defuer editas quovis colore, vel prætextu aliquid audeat attentare.

Durante absentia Ministri Generalis Commissarius Generalis Curie pro hac vice tantum Commissarium Visitatorem ad Capitulum d. Custodiæ mittere possit, ac electiones Custodis Guardianorum, aliorumque Officialium facere, & renunciationes recipere.

Custodia constat ex quinque Conventibus prout in rubrica. Duo ex quinque Conventibus valde distant ab aliis.

Dat facultatem Custodi, & Diffinitorio d. Custodiæ, ut dd. duos Conventus valeant dismembrare, & alios duos a pietate fidelium de novo erigendos sibi unire, prout in rub.

In eadem Custodia nulla sit præcedentia inter illius Religiosos nisi quæ ex an-